

privatio, et speciem non constituit, sed solvit.

LXIII. In quæstione LXXV, artic. I dixit D. Thomas peccatum esse actum inordinatum, et ex parte inordinationis dicit non habere causam, nisi sicut privatio, aut negatio. Verissime dictum est; sed cum hæc privatio sumatur dupliciter, et moraliter, et physice, contrarie, et private, non bene colligitur, ex hoc quod inordinatio non habeat causam, nisi sicut privatio, quod peccatum formaliter constituatur inordinatione, ut pure privativa, sed inordinatione contraria, quæ etiam habet causam deficientem, et non pure efficientem, qualis est Deus. Et D. Thomas eodem articulo, solutione ad primum, dicit: « Quod peccatum non solum significat ipsam privationem, sed actum sub tali privatione; » non ergo intelligit D. Thomas ex parte constitutionis peccati solam inordinationem privativam concurrere ut formale constitutum, sed in ordinationem contrariam, quæ est actus sub privatione, seu fundans privationem.

LXIV. In quæstione LXXXV, artic. IV, cum inquit D. Thomas: « Quod privatio boni, quod est actus inordinatus est essentialiter ipsum peccatum, » non intelligit per ly privatio, ipsam physicam privationem, quæ est negatio debitæ formæ, sed moralem, quæ est contrarietas ad virtutem, et talis essentialiter est peccatum. Vel secundo potest ly essentialiter intelligi pro eo quod intrinsecum est, et invenitur in ipsa entitate, et substantia actus, licet inveniatur ut modus, aut quid consecutum, non ut formale constitutum; sicut in homine negatio lapidis est essentialis, id est, in essentia imbibita, licet non formale constitutum hominis. Et persuademur ad hanc intelligentiam, quia D. Thomas, ut patet ex titulo articuli

solum agit de privatione, quæ est effectus peccati, inquirens: « An privatio speciei, modi, et ordinis sit effectus peccati? » Et dicit: Quod sic; sed cum hac distinctione, quod invenitur aliqua privatio talis, quæ solum ponitur in natura, aut in subiecto peccante, et talis privatio est extra essentiam, seu entitatem actus, ut est privatio gratiæ, et diminutio inclinationis naturalis. Alia est privatio, quæ non est extra ipsam entitatem, et essentiam actus, sicut privatio actus ordinati. Et hæc dicitur esse ipsum peccatum essentialiter, quia non in subiecto, seu natura, sed in ipsa entitate actus peccaminosi est, non tamen ut formale constitutum, sed ut consecutum, vel effectus. Nam de privatione, quæ est effectus peccati loquitur titulus articuli.

LXV. In secunda secundæ, quæst. XX, artic. I ad primum, cum dicit S. Thomas: « Quod peccata, quæ opponuntur virtutibus theologice principaliter consistunt in aversione, » tacite insinuat, quod reliqua peccata, quæ his virtutibus non opponuntur in aversione principaliter non consistent, sed consecutive. Veritas tamen est, quod ut ibi advertit Cajetanus ista peccata dicuntur principaliter consistere in aversione objectiva, non formali. Dicitur aversio objectiva, quando ipsum averti, et relinquere Deum, quatenus erat objectum aliquarum virtutum est res intenta, et volita, quod accidit in habentibus ita corruptam æstimationem de Deo, quod ipsum contemnunt, et quasi sibi tædiosum, et onerosum reputantes a se abigunt, et repellunt, sicut de quibusdam dicitur: *Qui dixerunt Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*, Job XXI, aversio formalis est, quæ relinquit Deum non directe, et per se ut objectum quod contemnit, sed consecutive, quia scilicet amat

aliud plusquam Deum, seu plusquam legem Dei, et sic recedit a Deo ut regulante, et recedit a Deo non in se ipso, sed in sua lege, quatenus illam transgreditur, non vero recedit a Deo ut contempto in se, aut odio habito. Qui ergo peccat contra virtutes theologicas, cum ipsæ tangunt Deum non solum in lege sua, et regula, sed ut materiam, et objectum repulsum, etiam talis peccans recedit a Deo, et fugit ipsum ut materiam, et objectum sibi aversum, et tædiosum, et nihilominus etiam recedit ab ipsa lege Dei prohibente talem contemptum. Illa ergo aversio dicitur objectiva, quia pro objecto habetur Deus ut repulsus, et contemptus, ideoque non mirum, quod in istis peccatis principaliter consideretur, cum ex parte objecti se teneat, aversio autem formalis semper ex consequenti se habet, quia non respicitur ut objectum, sed ut terminus a quo.

LXVI. In secunda secundæ, quæst. CXVIII, sumit D. Thomas gravitatem peccatorum ex corruptione, et privatione boni in quo consistit malum, scilicet malum simpliciter, ut ibi exponit Cajetanus et dicit, quod ista privatio formaliter se habet in peccato, non formaliter constitutive in specie morali, sed formaliter consecutive. Quod dicimus propter expressum locum D. Thomæ 1-2, quæst. LXXIII, artic. III, ubi docet gravitatem peccatorum sumi ab objecto. Et comparans illam cum aversione dicit solutione ad secundum: « Quod ex ipsa indebita conversione ad bonum commutabile sequitur aversio ab incommutabili bono, in qua perficitur ratio mali; et ideo oportet quod secundum diversitatem eorum, qua pertinent ad conversionem sequatur gravitas malitiæ in peccato. » Ubi aperte docet sequi gravitatem ex his, quæ pertinent ad rationem conversionis, per-

fici autem rationem mali in aversione, quod verum est de malo simpliciter, quod consequitur ad malum morale in actu, et. complet illud.

LXVII. Denique ad locum citatum ex tertia parte eadem solutione, et distinctione potest responderi, quod cum dicit aversionem esse formale in peccato, et conversionem esse materiale, si loquitur de formali constitutivo ipsius speciei mali moralis, sumit aversionem contrarie, non private.

LXVIII. Et si dicas, quod hæc non distinguitur a conversione, sicut hic illam distinguit D. Thomas, respondetur non distingui a conversione adæquate sumpta, et prout in genere morali fundat privationem defectuosam: bene tamen a conversione illa inadæquate sumpta, et prout in linea naturali tangit objectum in quantum appetibile, et in quantum bonum ipsi sensui. Quando autem postea subdit D. Thomas, quod remisso peccato remanet id quod materiale est, scilicet inordinata conversio ad bonum creatum, pro qua debetur reatus pœnæ temporalis, quæ conversio si inordinata est, moralis esse debet, non est intelligendum quod loquitur D. Thomas de conversione illa, quæ est ipsemet actus inordinatus, hæc enim transivit, transeunte actu, et hæc inordinata conversio actus nunquam separabilis est ab aversione, et a reatu pœnæ æternæ; sicut enim ab actu peccati non potest separari, quod sit culpa mortalis, si offensivus est Dei, ita non potest separari ipsa aversio a Deo, sicut ex motu habente tendentiam ad terminum, ad quem non potest separari recessus a termino a quo. Et sic evidentissimum est, quod non loquitur D. Thomas in his verbis de conversione illa, quæ in ipso actu reperitur, quia hæc sine aversione reperiri non po-



test. Loquitur ergo D. Thomas in his posterioribus verbis de conversione remanente post actum peccati, imo et manere potest post pœnitentiam, et remissam culpam, et est effectus illius, scilicet reatus ipse, quo homo remanet reus pœnæ temporalis ex eo quod indebite usus est bono creato, et contra legem Dei delectatus in illo, meretur enim ut per pœnam, temporalem recompensetur ista inadæquatio.

LXIX. Quando autem nos dicimus formale peccati esse aversionem contrariam, et non solum privativam, materiale autem ipsam conversionem ad bonum inadæquate sum ptam, loquimur de conversione et aversione ipsius actus, non de conversione et aversione quæ sunt effectus peccati, ut est macula, et reatus remanens post peccatum etiam remissum quoad temporalitatem pœnæ, ut docet S. Thomas 1-2, quæst. LXXXVI, artic. II et XXXVII, artic. VI. Et fortasse si penitus ad litteram D. Thomæ loquamur, in illo loco tertiæ partis in tota illa solutione ad primum, nequæ loquitur de aversione, nequæ de conversione culpæ mortalis in ipso actu, sed in ipso effectu remanente post actum, scilicet in macula, et in reatu orto ex conversione ad bonum; macula autem solum consistit in privatione formaliter loquendo, licet causetur ex actu pravo, ut infra dicetur circa quæstionem LXXXVI.

LXX. Denique potest dici, quod formale peccati dicitur a D. Thoma esse aversio, non formale constitutum mali moralis, sed formale consecutum, et completivum ejus, quod pertinet ad rationem mali simpliciter. Cum autem dicit D. Thomas quod remoto formali removetur species, sicut remoto rationali tollitur species hominis, dicimus, quod remoto formali non solum quando est constitutum, sed etiam si sit mo-

dificativum, si modus intrinsecus sit, removetur species; sicut remoto recessu termini a quo removetur motus, et remota obscuritate tollitur species fidei. Exemplum autem de rationali, et specie humana non adducitur pro similitudine in ratione differentię constitutivæ, sed in ratione destructionis speciei, eo remoto; destrui autem potest species etiam remoto eo, quod se habet ut modus intrinsecus, licet non se habeat ut differentia constituens.

SOLVITUR SECUNDUM ARGUMENTUM;  
OSTENDITUR QUOMODO DEUS NON  
CONCURRAT AD POSITIVUM PECCATI  
UT CONTRARIUM.

LXXI. Secundo arguitur fundamentali argumento oppositæ sententiæ. Quia certissimum est Deum non esse causam peccati absolute loquendo; et hoc maxime verificatur ratione formalis constitutivi peccati in esse, et specie morali, nam ex parte materialis, seu ejus quod entitativum est, et participat esse reale in rerum natura, certum est Deum esse causam, quia omnis influentia in esse ex Deo est, qui est fons totius esse, solum ergo verificatur Deum non esse causam peccati ratione sui formalis constitutivi in ratione, malitiæ, et mali moralis. Sed si constitutum formale peccati consistit in positivo reali, Deus debet esse causa illius in quantum formale constitutum ejus est; ergo Deus erit causa peccati absolute, et simpliciter loquendo, quia est causa ejus quod materiale, et entitativum est, et ejus quod morale, et formale constitutum in ratione mali moralis. Minor patet, quia illud formale constitutum est aliquid reale per se; ergo est realitas causata, et participans esse; ergo a Deo, qui est

primum ens, et universalissima causa totius entis, et totius realitatis habentis, esse.

LXXII. Quod si dicatur non constitui a nobis peccatum in positivo absolute, et simpliciter, sed ut defectibili, seu ut fundante privationem, et sub hac formalitate non esse a Deo, contra sit argumentum inquirendo, quid sit illud positivum in quantum defectibile, et quid addat supra rationem positivi hoc quod est fundare privationem, vel esse defectibile. Aut enim defectibilitas illa est aliquid positivum; vel non. Si non est positivum, erit privatio, et sic privatio fundabitur super privationem, et tandem consistet formaliter peccatum in positivo quatenus privativum, seu verius, et formaliter in ipso privativo, si hoc est fundamentum illius defectus. Si est aliquid positivum etiam in quantum defectibile; ergo prout sic erit a Deo, quia prout sic est ens, et est positivum reale; ergo a Deo, quia nullum ens in ratione entis subterfugit dependentiam a Deo, ergo nec causalitatem.

LXXIII. Confirmatur, quia aversio, seu privatio non potest esse consecuta ad essentiam, et constitutum peccati; ergo si intrinsece, et essentialiter requiritur ad illud, et non ut consecutum, necessario est ut constitutum. Antecedens autem probatur; tum, quia ablata aversione tollitur tota essentia peccati, et posita ponitur; ergo non potest esse consecuta ad ipsam essentiam peccati, sed ingreditur in ejus constitutum; tum, quia si consequitur; ergo ante ipsam privationem tota essentia peccati intelligitur constituta, ergo potest intelligi tota essentia peccati nondum sublata rectitudine, et expulsa ab actu. Patet consequentia, quia rectitudo solum tollitur per privationem ejus; ergo quamdiu non intelligitur privatio in

ipso actu, nondum intelligitur remota rectitudo. Intelligitur ergo rectitudo adhuc in actu, qui essentialiter est peccatum, et constitutum in essentia peccati, quod est implicitorium.

LXXIV. Respondetur ad principale argumentum in primis illud debere solvi etiam ab auctoribus, qui constituunt formale peccati in privativo. Nam ista privatio sine dubio habet fundamentum, alias esset pura negatio; illud autem fundamentum non est alia privatio, quia rursus de illa inquiram fundamentum, et sic in infinitum; est ergo aliquid positivum, sed Deus est causa omnis positivi realis, ergo est causa fundamenti privationis; hoc non concedunt illi auctores, nec potest concedi, quia qui causat fundamentum peccati prout tale, causat consequenter id quod fundatur in illo. Quod ergo responderint ad causationem fundamenti privationis, nos respondemus ad illum positivum ordinem, qui formaliter est malum morale.

LXXV. Quare ad argumentum respondemus solutione data, secundum quam fatemur actum peccati etiam in linea morali prout est contrarius positive actui bono, et virtuti non esse a Deo sub ipsa formalitate contrarietatis, quatenus fundat privationem, et defectum. Quæ est solutio Cajetani 2-2, quæst. VI, artic. II. Et sumitur ex eodem sancto doctore ibidem dicente: « Quod deformitas non solum importat privationem debitæ formæ, sed etiam contrariam dispositionem. Unde deformitas se habet ad actum sicut falsitas ad fidem. Et ita sicut actus deformis non est a Deo, ita nec aliqua fides falsa. » Ecce ubi manifeste fatetur S. Thomas actum deformem deformitate contraria non esse a Deo. In ejus ergo solutione persistendum nobis est. Et dicimus debere



hanc doctrinam admitti, quod licet omne positivum sub ratione effectus et existentiae sit a Deo, non tamen ipsummet positivum sub ratione deficientis est a Deo. Nemo enim Deo auctore fit deterior, ut Augustinus inquit. In ratione autem, et linea deficientis non solum intrat ipsa privatio, quæ formaliter est defectus, sed etiam ipsum fundamentum, et radix talis privationis, quod non potest esse ipsamet privatio, sic enim fundaretur in se ipsa, nec alia privatio, quia de illa esset eadem difficultas, sed est positivum aliquid cum limitatione, et absentia alicujus cum quo illa privatio non compareretur. Et tale positivum licet in se, et in suo esse sit a Deo, tamen ut subest illi connotationi, et est radix talis privationis a Deo non est, sed talem defectum habet prout est ex nihilo. Cujus exemplum habemus in ipsa potentia peccandi. Nam illa non est ipsum peccatum, sed antecedens ad peccatum (nemo enim punitur, quia potest peccare, sed si peccet) et consequenter neque est ipsa privatio peccati, sed est aliquid positivum ut defectibile, et sic talis potentia peccandi non est a Deo prout talis, nempe ut est ad peccandum, et deficientium, sic enim non est a Deo, quia nemo deo auctore fit peior, nec tendit ad recedendum a Deo. Bene ergo stat, quod aliquid positivum sub aliqua consideratione, seu connotatione, et respectu a Deo non sit, sed illud positivum prout est ex nihilo est defectibile, et prout est a Deo est effectibile.

LXXVI. Quod etiam aliis exemplis manifestatur. Nam actus vitalis est entitas, quæ est a Deo ut a causa universali totius entis, et tamen non sub omni formalitate est a Deo, quia non est ab ipso ut a principio intrinseco, sic enim est a principio creato, quia Deus non est principium

intrinsecum in creatura. Et actio limitata est a Deo ut entitas est, et non sub modo, et formalitate limitationis, et imperfectionis, sed sub modo perfecto. Et motus tibiæ claudicantis est a Deo, et ab anima sub ratione motus, non sub ratione obliquitatis, et claudicationis. Hac ergo ratione illa entitas, seu ordo positivus moralis ad objectum pravum prout in se entitas realis est, et habet esse, est a Deo, est enim quid effectibile: ut autem tangit objectum deordinatum, et privatum regulis rationis, ex quo oritur in actu privatio rectitudinis, sub hac ratione est fundamentum defectibile, et non est a Deo, licet alias in se ut entitas est, sit a Deo, quia licet tangat positive objectum, non tamen positive absolute, et simpliciter, sed non in ea plenitudine essendi, quam postulat illa regulatio moralis: sicut artefactum deficiens a regulis artis respicit quidem aliquam ideam secundum quam fit, sed non in ea plenitudine, et adæquatione, quam postulat idea, et ars propria talis artefacti.

LXXVII. Et cum instatur, quid est illud positivum ut fundat privationem, et quid est fundare privationem illam, estne aliquid positivum superadditum, an privativum.

LXXVIII. Respondeo esse positivum cum limitatione; quæ limitatio importat duo: alterum est absentiam alterius boni ex quo poterat defectum supplere, et privationem illam non fundare: alterum est mutabilitatem de uno in aliud, quæ mutabilitas sequitur voluntatem, non solum quia contingens, et libera est, sed quia ex nihilo est; sic enim in defectum essendi, et operandi cadere potest, et ultra hoc quod est esse ex nihilo non est alia causa mali querenda, ut docet S. Thomas in secundo distin. xxxvii, quæst. ii, articulo primo, ad secundum. Itaque sicut motus non solum est aliquid positi-

vum in quantum accedit ad terminum ad quem, sed etiam ut recedit a termino a quo, si quidem non recedit ab ipso per meram privationem, sed per positivum motum, et tendentiam, qua suis passibus exit a tali termino: sed tamen ille recessus non est positiva tendentia simpliciter, et absolute, sed tendentia cum limitatione, ratione cujus cum non possit utrumque terminum simul complecti, accedendo ad unum, derelinquit alterum, et sic inducit et fundat privationem ejus in motu; ita moralis tendentia ad finem pravum, non recedit a fine bono per meram privationem, sed per tendentiam defectuosam, et non valentem tenere finem bonum. Quod vero mobile non persistat in illo termino, quem relinquit, provenit ex mutabilitate sua: ita voluntas verum est, quod per positivam tendentiam accipit unum finem, et relinquit alium, et hoc habet ex limitatione sua, quod utrumque simul non possit habere, et similiter ex sua mutabilitate, quod non figatur in uno, etiamsi sit bonum, et sic quando unus ex his finibus bonus est, et regulam directivam voluntatis continet, si voluntas ipsa cum absentia talis regulæ consideretur antequam applicetur ad actum, consideratur ut quoddam bonum non absolute, et simpliciter, sed cum absentia alterius boni, quæ absentia nondum est malum, neque privatio rectitudinis formaliter, sed est radix, et principium unde talis privatio oritur, et ipse actus ut egrediens a voluntate sub tali absentia boni, id est, sub absentia regulæ rationis existente egreditur, ut quid positivum fundans privativum, seu privationem rectitudinis, et prout sic non est a Deo, nec addit novum aliud positivum, nec supponit aliam privationem, sed idemmet positivum cum illa connotatione limitationis,

quæ includit absentiam regulæ per quam posset illa privatio evitari; et mutabilitatem non persistendi in regula, quæ mutabilitas, et absentia, et limitatio conveniunt illi voluntati, et ejus positivæ tendentiæ, ex eo quod est ex nihilo, ut ex termino a quo, in quod tandem principium reducitur omnis origo mali, quæ a D. Augustino desumitur ex bono quatenus limitatum, et non plenum, quam limitationem habet, quia ex nihilo est, ut videri potest libro vii confessionum, cap. xi et xii et xiii.

LXXIX. Dices: illa absentia boni, seu regulæ jam est quædam privatio, et illud esse ex nihilo ad negationem pertinet; ergo in ipso fundamento privationis, et malitiæ jam supponitur privatio, et ex illa denominabitur malum.

LXXX. Respondetur quod esse ex nihilo non est privatio, sed ipsum esse connotatione termini a quo, quod est nihil, et rursum illa connotatio non est directe ipsum nihil, sed directe est esse, et in obliquo nihil, quatenus connotatur in illo esse illud nihil ut terminus a quo. Nec possumus ab istis terminis egredi, quia transcendentia sunt in omni ente creato, quod nec omnino est, nec omnino non est (ut citato loco dicit Augustinus) sed ex non ente est, et sic est ens directe, et in obliquo non ens, seu connotato, et ut in se est, a Deo est, sub illa vero connotatione, ex nihilo est. Patet autem, quod esse ex nihilo non est privatio, quia esse ex nihilo est extrahi e nihilo; non extrahitur autem a nihilo per negationem, aut per privationem, sed per entitatem et esse, cum connotatione tamen ad terminum a quo unde extrahitur.

LXXXI. Et ad illud de absentia regulæ, non negamus esse negationem, sicut limitatio est negatio alterius perfectionis, quam res limi-